QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,
DIE IOVIS XXIX. MARTII.

M. NICOLAO REGNIER, Doctore Medico, Moderatore.

739

An ſuilla ſalubris ?



OMO fortunæ ludibrium, morborum mancipium, naſcens moritur, & in horas ſeneſcit, velit, nolit; ſed fatalem hanc metam tardiùs aut celeriùs attingimus, prout medicas viuendi leges ſeruamus aut negligimus. Ad tuendam hominis valetudinem ſumma eſt aëris vt neceſſitas, ſic dignitas, ab eóque κατὰ τὰς ποιότητας immutato Epidemij mitiores; καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν corrupto & putrente peſtilentes oriuntur morbi; non minor alimentorum, ex quorum vitio σποραδικοὶ peſtilentibus grauiores ſoboleſcunt. An non quoque mortales omnes aquarum mutationem, quàm aëris, grauiorem experiuntur?



OMO quilibet, etiam temperatiſſimus (qualem σταθμῷ καὶ μέτρῳ reperiri & non contemnendâ temporis intercapedine durare prorſus neceſſe eſt) licet ſingularibus quibuſdam prærogatiuis gaudeat, functiones omnes inculpatas habeat, morbificis cauſis potentiſſimè reluctetur, cibos bellè tum appetat, tum conficiat, vitam viuat perduturnam, nihilominus perennem triplicis ſubſtantiæ patitur iacturam; ne breui deficiat, noua inſtauratione quotidie opus eſt. ſed diſpar planè & damnoſa inſtauratio, cùm aqueum & diffluens loco aërei & oleoſi reponatur. Calor natiuus, vt Plautinus quiſpiam Paraſitus, ſuo ſucco viuit, quandiu ipſi conueniens ὑπέκκαυμα deeſt. Alimentum hoc eſt, cuius vſus, vitæ conſeruatio eſt, multùm refert qua arte id vſurpetur. nihil delinquet qui ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, ordinis, temporis, præparationis habebit rationem: nec quid regioni, tempeſtati, ætati, conſuetudini, debeatur, ignorabit.



LIMENTORVM immenſa eſt varietas, nihilque homini intactum, laudo, ſi ex ſanitatis ſtudio nata diligentia, vt ſalubre alimentum ab inſalubri εὔχυμον ἀπὸ τοῦ κακοχύμου, εὔπεπτον ἀπὸ τοῦ δυσπέπτου, πολυτρόφον ἀπὸ τοῦ ὀλιγοτρόφου, medicamentoſum à non medicamentoſo, diſcernatur, non vt gulæ & inſaturabili abdomini illecebra & irritamentum inueniatur. Simplex vario & miſcello haud dubiè ſalubrius. Alimenta ſuppeditant plantæ, animalia, animalium carnes attingere qui religioni ducunt, nimium ſuperſtitioſi; hinc purior & laudabilior ſuccus, gignitur, concoctu facilior: hinc pauciora excrementa. Imbecilles cibi cuiuſmodi ſunt qui ex plantis petuntur, breuem vitam. Inter animalia piſces infimo planè ſunt loco, vt non immeritò veterum exoleuerit conſuetudo, qui ſuis ægris piſces non raro porrigebant, nunc ab ægrorum triclinijs exulant. An præcipiti hyeme & vere nouo ſalubris ἰχθυοφαγία? ſalubris μονοσιτία? quò vberior calor natiuus, eò copioſiori & valentiori alimento refici debet.



VILLO pecori pro ſale animam, ne putreſceret, benigna conceſſit rerum parens, atque vt idonei alimenti, imò ſuauis & opipari affatim haberemus, ſingulari fœcunditate animal eſſe voluit; in Suilla ſapores plùs minùs quinquaginta obſeruare licet, vixque aliquid in hac pecude occurrit, quod non edendo ſit & peculiari ſuauitate alliciat: ſed hoc nihil eſt ſi cum alimenti præſtantia & ſalubritate conferatur; quidni verò temperatiſſimum animal, humanæ carni ſimillimum, odoris nullo, ſaporis nullo manifeſto diſcrimine (alimentorum, imò medicamentorum quorumlibet ὅλην τὴν οὐσίαν his internoſci quid vetat?) probatiſſimum ſuccum & conuenientiſſimum alimentum largietur? Accedit alia commendatio, quòd potenter nutriat. Ventris ſtabilimentum panis & ſuilla. Senſêre hoc Athletæ (miſerum olim hominum genus, πολυσαρκίᾳ & robori virium, ſed perperam ſtudentes, nuſquam ſani, cùm maximè ſani, quos rectè à ficubus ad carnes præſertim ſuillas, tranſtulit Pythagoras exercitator:) ſenſêre inquam ex pari alterius cibi mole imminutas poſtero die ſuas vires.



RÆTER iſtam ſuillæ carnis temperaturam obſeruabit prudens diæteticus hominis alendi ætatem & conditionem; animalis quoque alimentum ſuppeditaturi: homini ætate florenti, calidiore temperamento, multis & laborioſis exercitationibus indulgenti, belliſſimum ſuppeditabunt alimentum, ſuum ætate vigentium carnes, otioſis & ſedentariam vitam agentibus non perinde vtiles futuræ ſunt. Commodiores erunt teneriorum & adhuc creſcentium. Vulgò parùm ad has præceptiones attenditur, nec ſemper medicinæ cum gula conuenit: lactentis & ſubrumi caro hodiéque in delicijs eſt, medicis damnatur quod humiditate nimiâ diffluat: vetuſtioris porci carnem vt concoctu difficilem & melancholici ſucci procreatricem, rectè omnes auerſantur. Vtriſquè ſalubriores ſunt nefrendes, vtpote carne iam compactiore, minúſque humida; omnium ſaluberrimi mediæ ætatis, media quoque inter macrum & obeſum habitudine, quorum carnes non Apiciano more, ſed medico artificio conditæ & præparatæ, ſiue ad conualeſcentium ἐπαναθρέψιν, ſiue ad ſanorum θρέψιν καὶ αὔξησιν commodiſſimæ ſunt.

Ergo Suilla ſalubris. 180

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS MATHIEV Barroducæus. A. R. S. H. M. DC. XXIX.